Crac. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Phil. Ord.
1632 30 Martii i.

Cinerski Joan. Bachtamovii: Noudeukor
in laudem Eximior. ac Ven. XXI Virorum.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ
IN LAUDEM
Eximiorum ac Ven. XXI. Virorum.

Dum in florentiss: D. JAGELLONIS LYCÆO,

A

Magnifico & Adm: Reuerendo Domino,

D. IACOBO NAIMANOWIC, I.V.D. ac Professore, Cathedr. Eccl. Crac. Canonico, Archidiacono Pilecen, &c. &c. Generali RECTORE & Procancellario Almæ Academiæ Crac. longe digniss.

Artium & Philosophiæ LICENTIATI in publica Clariss. Virorum luce, ac frequentia, renuntiarentur.

A

M. IOANNE CINERSKI RACHTAMOVIO, Nouodwor. Dial. Profess. Contub. Hierosl. Sen.

Honoris & obseruantiæ ergò D.

Anno Dñi, 1632. Die 30. Martij.

CRACOVIÆ, Apud Franciscum Cæsarium.

IN STEMMA
ALMÆ ACADEMIÆ
Crac.



Ingeniosam aquilam Sceptris insculpsit amicis,
Magno Tarquinius prouidus imperio.
Docta Lycæa fouent duo Sceptra fauentibus astris
Illis an maneat dicite promptus honos?

Stephanus Tarło, Palatinid. Lublinen.
Stud. Dial.

Imperium fælix, Patriam cunctumq; Senatum
Hæc Scæptra ingeniis dum inuiolata vigent.
Hieronymus Połubiński, Dux à Łubno,
Castell. Mścisław. Stud. Poes.

Vnum Mercurius Sceptro gestauit ocellum,
Hic duo Sceptra, duo lumina adesse negas?
Stanislaus Giżycki, Castellanid. Cer.
Stud. Dial.

Sic bona posteritas Sceptris regnabit auitis,
Vt tuus ille fuit Diue Iagello fauor.
Paulus Stokowski, Stud. Dial.

Fælix ingenium fælicia vota Senatus,
Regia quæ doctis, Sceptra dedêre viris.
Nicolaus Niezábytowski, Stud. Dial.

Zoile frustra iterum reparato dente laboras,
Ingenium his Sceptris docta Minerua dedit.
Ioannes Gratus, Comes à Tarnow,
Stud. Poes.

Ingenio Reges per regia symbola cerno,
Consilium dedit hoc ingeniosus honor.
Valerianus Wilczogorski, Stud. Gram.

Ingenium Sceptris geniumq; tenemus amicum,
Rumpatur quisquis rumpitur inuidiâ.
Simon Solecki, Stud. Gram.

AD

Magnificum & Adm̃ Reuereñ Dominum,

D. JACOBVM NAIMANOWIC,

I. V. D. & Profeſſ. Cathedr. Eccl. Crac. Canonicum, Archidiaconum Pileceñ, &c. &c.

Generalem Rectorem, & Procancell. Almæ Vniuerſitatis Crac. longe digniſſ.

MÆcenas teneræ dulce decus lyræ
Mæcenas roſeum lumen Apollinis
Mæcenas reſonæ lux Academiæ
Mæcenas ſolidi præſidium boni
Mæcenas Charitum Rector amabilis
Mæcenas iuuenum norma Quiritium
Mæcenas genij, dux bone, nobilis
Mæcenas columen rebus in aſperis
Mæcenas gelidæ fulmen inertiæ
Mæcenas rigidæ flamma proteruiæ
Mæcenas tacitis exitium hoſtibus
Mæcenas generoſi eloquij parens
Expectata tibi carmina dicimus
Omnes fauſta tibi vota refundimus
Namq; vltro auſpicijs cuncta fauent tuis.

Cathalogus

CATHALOGVS

DD. Licentiandorum.

1.	Ioannes	Ryznar.
2.	Laurentius	Strzezovvski.
3.	Ioannes	Sadłovvski.
4.	Damianus	Paięcki.
5.	Simon	Suchynski.
6.	Andreas	Kucharski.
7.	Stanislaus	Domaſzevvski.
8.	Gaſpar	Gelaſinus.
9.	Sebaſtianus	Falkovvic.
10.	Albertus	Dambrovvski.
11.	Albertus	Papencouius, Vſtień.
12.	Martinus	Kempczynski, Vſtień.
13.	Stanislaus	Oſędovvski.
14.	Ioannes	Helcner.
15.	Gregorius	Boruski.
16.	Chriſtophorus	Wilkovvski.
17.	Michaël	Behm.
18.	Lucas	Wyſogrodzki.
19.	Lucas	Piotrovvski.
20.	Ioannes	Grochalski.
21.	Adamus	Broſcius.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ

I.

APud priores vt agere memoratu digna pronum, magiſq; in aperto erat; ita celeberrimus quiſq; ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, ſine gratia, aut ambitione, bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebatur. *Tacitus in vita Iulij Agricolæ.*

ODE I.

FÆlix ingenuo qui teneram ſuppoſuit iugo
Ceruicem, & ſolidis intrepidum finxit adoreis
Pectus; nec facilem deſeruit militiam puer
Muſarum, rigidam magnanimus pauperiem pati.
Non illum vacuo (grande malum) cæcus amor ſui
Afflixit ſtrepitu: non modicâ, Gnydia perfida,
Fortem propoſiti, corripuit tabe libidinum:
Nec conſanguineus ſollicitæ, iura proteruiæ
Importuna bonis aſſeruit pectoribus ſtupor.
Altrix ingeniorum, imperij candidior parens
Libertatis amor, præſidium, Sydus amabile
Septem interq; Triones rigidi frigoribus poli,
Pulchris ecce ſimul pignoribus præmia diuidit.

Fauſtis

Faustis auspicijs ô vtinam! dextro & Apolline
Istud magnificum concelebret conditionibus
Infractis opus. ô perdita gens; ô malè conscia
Probris, turba procul, perge procul prodigialibus,
Ergo perge procul, perge procul, iam procul, ô procul
Hinc discede, fuge, erūpe, fuge hinc te eripe. Namq; ego.
Crudi Bambaliones ego vos carminibus Sacris
Inuitos quatiam, ne noceat, ne noceat nouis
Importuna lues vatibus ô ne noceat meis.
Nil hic flammigeris nil valeat turbinibus furor
Nil diris rabies inuidiæ armata cohortibus.
Adsit Religio, Simplicitas, Candor & aureus:
Musarumq; frequens arripiat vel Cytharas chorus
Vel buxos faciles, inde lyras, sistraq; tinnula
Clangentesq; modis, ad numeros, ductilibus tubas,
Et spiret geminis, non tacitum carminibus melos.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ

II.

APhricanus Socraticum Xenophōtem in manibus semper habebat, cuius inprimis laudabat illud, quod diceret, eosdem labores non esse æque grandes, imperatori, ac militi; quod ipse honos laborem leuiorem faceret imperatorum. *Cic. 2. Tuscul.*

ODE

ODE II.

QVem tu Phœbe pater semel
 Nascentem roseo, lumine videris,
Illum non labor improbus
 Subuertet rigidis conditionibus,
Audacis, tumidæ vices
 Non fragent populi, præcipiti dolo.
Non spes, non leuis aut metus,
 Virtutis solidâ vertet ab orbita,
Musarumq; choro eximet.
 Sed qui Sarmaticis vrbibus affluit
Vastus flumine Vandalus,
 Finget Castalijs nobilem adoreis!
Nymphæ dissociabili
 Secernent populo, atq; inter amabiles
Vatum constituent choros,
 Ne vulgi rabiem sentiat asperam.
O testudinis arbiter
 Lentam qui inuidiam fortiter opprimis
O fractos quoq; spiritus
 Erecture alacri, si libeat sono
Totum muneris hoc tui est,
 Quod spernant laceræ tela proteruiæ,

Can-

Candoris Comites boni;
Quod Musis placeant (namque placent) tuum est.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ III.

OMnes trahimur & ducimur, ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem; in qua excellere pulchrum putamus; labi autem & errare, nescire, & decipi, & malum & turpe ducimus. *Cic. 1. Off.*

ODE III.

Firmis nunc animis, nunc opus est pectore candido,
Ter septem egregij laude Viri pergite, pergite,
Exornare bonis ingenijs Almam Academiam:
Fælices etenim, fonte bono, tot bona commoda
Deduxtis. Populi iam phaleras spernite inutiles,
Robustos solidis pectoribus sumite spiritus.
Firmis nunc animis, nunc opus est, pectore candido,
Non plausum tumidæ, plebis emetis, neq; posteris
Fumosas titulis, nobilium luce Quiritium
Vendetis tabulas: sed meritis vos quoq; gloriam
Debetis memorem non tacitis ferre nepotibus.
Firmis nunc animis, nunc opus est, pectore candido,

Virtus ingenuis feminibus consociabilis
Æternum decus, & tergeminos prorogat ordines;
Fasces, imperium, nobilibus cum legionibus.
Virtus illa regit, quæ dominis pulueribus potens,
Exprobrar merito non solitæ signa licentiæ.
Hanc circum medijs stat meritis prouidus imperi
Candor; quem placidis purpureus lambit Etesijs
Risus, concilians non humiles ingenijs iocos.
Firmis nunc animis, nunc opus est pectore candido,
Castæ sufficient Castalides insuperabiles
Menti delitias ingenuæ: Vos modo pergite
Sudantem interea compositi vertere pollicem
Et certam vigilans ingenium ducere in orbitam.
Firmis nunc animis, nunc opus est pectore candido,
Aspirate bonis Dij faciles mentibus indolem
Aspirate nouis perpetuum pectoribus decus
Felicesque dies ingenuis reddite sensibus.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ

IV.

HÆc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Cic. pro Archia Poeta.*

ODE IV.

Apollo ad Almam Academiam.

AGe fortis, reparatrix bona, regni,
Preme docto, beneolentes, pede, flores
Tibi ridet comitantûm chorus omnis legionum.
Tibi surgit resonantes dare laudes
Dea casti, moderatrix vaga, montis
Tibi cantus, tibi plausus, famulantur generosi.
Tibi puri sociantur iuga Vaûli
Tibi Nymphæ fluuiali vice saltant
Tibi longus Satyrorum salit ordo per apricum
Age pulchrum geminatis caput astris
Populari erige voto, erige mater,
Tibi surgit pretiosus numero laudeq́ miles.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ

V.

GAude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine, adhuc honor studijs durat. Studeamus ergo, nec desidiæ nostræ prætendamus alienam. Sunt qui audiant, sunt qui legant, nos modo dignum aliquid auribus elaboremus. *Plin. Sec. lib. 4. epist. 16. ad Val. Paulinum.*

ODE V.
ſiue Echo.

VOtis cuncta fauent! Phæbe veni, Phæbe veni tibi
Manſuris graciles carminibus Vandalides canunt,
Arridet geminis Aönius verticibus chorus!
Iam per plana, per abrupta, per imperuia diſſoni
(Quoſcumq; trahit deciduus gurgite Vandalus
Vndarum rapidis agminibus littora verberans)
Plauſus deſiliunt. Inſinuat vocis imaginem
Echo, cum reparatis properat cantibus vltimam
Laudem effingere; mox concipiens ore modos leues
Et mox auſa loqui non retinet verba fideliter.
Ergo cum reſonis Vandalides carminibus Deæ
Certant, illa cauos voce ſonos reddere pertinax
Pergit: Dum geminant ô Socij Viuite, Viuite,
Hæc clamore refert diſsimili, PERGITE, PERGITE.
Rurſum illæ repetunt ô Comites PLAVDITE, PLAVDITE?
AVDITE! illa canit. Pignoribus turba recentibus
Votis ergo faue (reddit AVE) tanta negotia
Multum laudis habent! (AVDIS! HABENT:) iam reſonabilis
Nymphæ, Phæbus adeſt, ô Comites, Phæbus adeſt canunt,
(EST, EST, hæc repetit) Phæbe faue dulce decus lyræ
(IRÆ, Echo reſumit) Phæbe pater perge potẽtibus
Ornare

Ornare ingenijs (hæc GENIIS) Almam Academiam
(IAM, IAM) Palladio quæ grauis est puluere! (VE-
RE ait)
Virtutemq; colit non tacitam! (VITAM ait) inclytum
In turbis Columen: (tum VRBIS ait LVMEN) amabile
Regni præsidium, & temperies! (illa QVIES refert)
Libertatis asyllum solidum, pacis adoreis:
(REGIS congeminat) Nam iuuenes (illa SENES ait)
Excelsis generosi meritis! (SCITIS ait) senes
Fractos vt superent ingenio, non iuuenilibus
Annis (GANNIS ait) fonte sitim Pyerio leuant
(EDANT) sed satiant alma Lycæa? (addidit HÆC
MEA?)
Olim condiderat quæ ille Iagello bonus? (intulit
PATRONVS) Patriæ & dulce senatus decus optimi
Hostis fulmen atrox perfidi? (at illa ore refert cauo
VIDI) illum referent astra super lucida posteri?
(VERI?) Qui bonitatis vel opes, vel bona publicæ
Sortis non videat, pectore alit plusquam adamantinam
Fibram! (HYDRAM Echo refert) Magnanimus quid
Nouoduorscius
An lentum peperit Sarmaticis ingenijs decus?
Effusis tenerum cum inseruit seminibus bonum?
Præfecitq; Deas indocili ludere puluere?
(VERE? VERE? ait) ô Quid memorem Te decus au-
reum
VLADSLAVI? Ecce ferunt ecce Tibi lilia candida
Recentesq; rosas, & violas, & Casiam, & Crocum

Gratæ Castalides: & tumulum spargere floribus
Mandant, & tumulo hæc verba modis ritè loquacibus
Figunt. Relligione, ingenio, laude, fide potens
Et candore bonus deposuit corporis hic sui
Vates exuuias, astra petijt mens generosior!
Cælum & pro meritis in Patriam, remq; Academicam
Cernit, quam memori restituit munificentiâ;
Asidetq; Tibi, purpureo nectare, Olesnici
Fælix! laurigerum qui meritis prouidus arbiter
Erexti penetral: Quod dolor heû! sed fugite ô fugite
(Horresco referens) Ne pueri vos maneat malus
Casus: ruderibus pars hiat hæc dissociabilis,
Euibratq; graues cardo ruinas. (Dea iam MINAS!
Clamat) Pyerios si quis adhuc restituat lares
Auertatq; luem sollicitis corporibus grauem
Victuris memorem carminibus Vandalides canent.

Literæ

Literæ diſcuntur facile, ſi & tantum ſumas, quantum opus ſit & habeas qui docere fideliter poſsit, & ſcias ipſe etiam diſcere: ita vt facilis vſus doctrinā confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria ſtudiumq; permaneat.

Cic. lib. 3. de Orat.

Sunt qui ſcire volunt eo fine tantum, vt ſciant & turpis curioſitas eſt; & ſunt qui ſcire volunt vt ſcientiam ſuam vendant, & turpis quæſtus eſt; & ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Sed ſunt quoq; qui ſcire volunt vt ædificent, & charitas eſt, & ſunt qui ſcire volunt, vt ædificentur, & prudentia eſt.